

Ill/me D. Comes.

2616

Heri non licuit mihi respondere literis D.V. ob frequentiam eorum, qui a me audiri volebant. Nunc officios atisfaciam. Non memini, me consilium dedisse D.V. ut ante festa natalitia susciperet duos sacros ordines, sed contra potius memini me dixisse sacros ordines recipiendos temporibus ab Ecclesia institutis, nisi aliud postulet Ecclesiae necessitas; et quia nulla necessitas appetit, unde cogatur D.V. ordines accipere extra tempora, ideo consilium dedi ut in quatuor temporibus natalitiis unum ordinem sacrum susciperet, aliorum ordinum susceptionem in alia tempora differret. Nunc autem valde dubito, an vel unum ordinem sacrum in proximis quatuor temporibus D.V. suscipere possit. Multa enim sunt necessaria ad sacros ordines, literae dimissoriales proprii episcopi, examen de doctrina et moribus, et testimonium de ordinibus minoribus rite perceptis, titulus aliquis beneficii vel patrimonii, et si quae sunt alia, quae mihi in praesentia non occurrunt. Quare non auderem antea loqui cum Summo Pontifice, quam de his rebus certior factus essem; et si auderem, ut D.V. gratificarer, sine dubio repulsam a prudentissimo et gravissimo Pontifice paterer, qui tantam festinationem in re omnium maxima non probaret. Itaque D.V. curet me de supradictis rebus certiore reddere, et componat animum ad praestolandum beneplacitum Dei, qui viam aperiet et omnes difficultates de medio tollet, quando id saluti D.V. expedire judicabit. Valeat D.V. mei memor in sanctis precibus suis.

Ill/mæ D.V. addic~~t~~issimus

Rob.Card.Bellarminus.